



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 7. Valeret-ne baptismus, si unus infunderet aquam, alter verba proferret?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Baptismi. Cap. IV. 75

nomine sanctæ Trinitatis baptizati sunt, constate eos non esse denuò baptizandos.

Rationem affert Divus Thomas: Sicut ex parte materia, inquit, quantum ad necessitatem Sacramenti, sufficit quacumque aqua; ita etiam sufficit ex parte Ministri quicumque homo. Et ideo etiam non baptizatus in articulo necessitatis baptizare potest, ut si duo non baptizati se invicem baptizent, dum prius unus baptizaret alium, & postea baptizaretur ab eodem: & consequeretur uterque non solum Sacramentum, sed etiam rem Sacramenti. Si verò extra articulum necessitatis hoc fieret, uterque graviter peccaret, scilicet baptizans & baptizatus: & per hoc impediretur Baptismi effectus, licet non tolleretur ipsum Sacramentum.

D. Th. 3. p.
q. 67. art. 5.
in corp.

Quæst. 6. Sacerdos qui solemniter baptizaret absque consensu proprii Parochi, peccaret-ne?

Resp. Peccaret; nam, ut ait Divus Thomas, Quando Baptismus solemniter & ordinatè celebratur, debet aliquis Sacramentum Baptismi suscipere à Presbytero curam animarum habente, vel ab aliquo vice eius.

D. Th. 3. p.
q. 67. art. 4.
ad 2.

Quæst. 7. Valeret ne Baptismus, si unus infunderet aquam super pueri caput, & alter proferret verba formæ?

Resp. Non foret validus talis Baptismus, quia, ut ait Divus Thomas; Integritas Baptismi consistit in forma verborum & in usu materia: & ideo neque ille qui tantum verba profert, baptizat; neque ille qui immergit. Et ideo si unus verba proferat, & alius immergat, nulla forma verborum poterit esse conveniens.

D. Th. 3. p.
q. 66. art. 6.
ad 3.

Quæst. 8. Licet-ne plures simul baptizare?